

hypothese mogen zijn, die om verdere bewijzen zou vragen. Inzake tekstkritiek is het echter niet gemakkelijk afdoende bewijzen te vinden. Bij een tekstvergelijking vormt men zich wel een persoonlijke mening omtrent de afhankelijkheid, maar de geschiedenis van de *Norbert-Vitae* bewijst wel duidelijk genoeg hoe subjectief en misleidend zulke indruk kan zijn.

W. M. GRAUWEN O. Praem.

Actus Confraternitatis inter Ordinem Praemonstratensem et Ordinem Cisterciensem.

Dantur inter Ordinem Praemonstratensem et Ordinem Cisterciensem actus confraternitatis mutuae diversae naturae. Primo quidem inter Ordinem universum et abbatiam quamdam determinatam. Sub hoc respectu Tr. GERITS publicavit in *Anal. Praem.*, XLI, 1965, pp. 320-324, actus confraternitatis tum Ordinis Praemonstratensis, in genere, tum abbatis Windbergensis in specie cum abbatis S. Benedicti de Oberaltaich dicta. Indicanturque, l.c., p. 321, actus eiusdem naturae cum aliis abbatibus, et quidem actus provenientes a Capitulo Generali.

Praeterea occurrunt actus confraternitatis inter utrumque Ordinem Praemonstratensem universum et Cisterciensem universim sumptum. De actibus talibus, provenientes ab Ordine Praemonstratensi, iam antiquitus sermo fuit. Actus talis anni 1142 indicatus ac editus fuit a M. MANRIQUE, *Cisterciensium seu verius ecclesiasticorum annalium a condito Cistercio tomus primus*, Lugduni, 1642, p. 432-433; J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 322-323. — Actus similis proclamatus ab Ordine Praemonstratensis editur a Praemonstratensibus J. LEPAIGE, l.c., p. 323; C. L. HUGO, *Sacri ordinis Praemonstratensis annales*, t. II, Prob., Nanceii, 1736, col. 43. Ait Hugo se hoc documentum invenisse in archivis abbatis Praemonstratensis Loci Restaurati. — De hic duobus actibus scripsit Tr. GERITS, *Les actes de confraternité entre Cîteaux et Prémontré*, in *Anal. Praem.*, XL, 1964, pp. 192-205.

Huius ultimi articuli publicati relationem dedit S. d. d. H. (Silvester van der Heyden), in conspectu bibliographico edito in *Cîteaux*, XVI, 1965, p. 230 s. In qua relatione ista proponuntur: « Le renouveau de la vie religieuse au 12^e siècle était en même temps la source de vives polémiques entre moines et chanoines réguliers autour

de questions comme le recrutement, la construction des abbayes dans les voisinages et les dîmes. Une convention du 11 oct. 1142 entre Cîteaux et Prémontré *Confirmatio societatis et pacis* en est un exemple typique ; elle parle explicitement des trois points énumérés. Personne ne pouvait entrer dans l'autre ordre et ainsi on réagit contre certaines tendances d'instabilité qui se manifestèrent au 12^e siècle, conséquences d'un désir de nouveautés qu'on trouva dans les ordres nouvellement fondés. Les distances devaient compter, entre les abbayes, quatre lieux, entre les abbayes de femmes deux lieux et entre les granges un lieu. On n'exigeait pas de dîmes *tam de nutrimentis quam de laboribus*. A la fin on se promet des prières réciproques et un anniversaire pour les défunts. Ce document de 1142 fut confirmé par un autre de 1153, où l'on parle de l'admission de deux religieux. Il confirma l'amitié des deux ordres, mais devait servir encore plusieurs fois dans l'avenir pour sauvegarder la paix, ce qui prouve son autorité. On trouverait certainement d'autres exemples de telles conventions entre les deux ordres dans les cartulaires et les obituaires ».

Actus confraternitatis anni 1142 refertur a J. CANIVEZ, in vol. I operis *Statuta Capitulorum Ordinis Cisterciensis ab anno 1116 ad annum 1786*. T. I (Lovanii, 1933), p. 35-37. Canivez edit hoc documentum iuxta textum relatum a MANRIQUE, o.c., ann. 1142, cap. IX, n° 5-8, additque originale documentum huius actus asservari adhuc in Archivo publico regionis Haute-Marne (Série H, fonds de l'abbaye de La Chapelle-aux-Planches). Textus ergo huius documenti in hac publicatione Cisterciensi provenit ab aliquo documento quod asservabatur in abbatia Praemonstratensi.

Mirum quodammodo sane erat hucusque in nullo Archivo Cisterciensi tale documentum detectum fuisse. Recenter vero, sub hoc respectu, status rerum immutatus est. Siquidem in archivo abbatiae Cisterciensis Maioris Augiae (Mehrerau — Austria), documentum detectum est, et quidem ex ipso hoc documento indicari potest ratio ob quam exscriptum fuit.

Scite de hac re scribit Kol. SPAHR, *Zum Freundschaftsbündnis zwischen Cisterciensern und Prämonstratensern in Cistercienser Chronik*, LXXIII, 1966, pp. 10-16. Additque imaginem luce depictam documenti.

Scribit Dr. Spahr hoc documentum casu fuisse detectum in Archivo abbatiae Mehrerau, ubi asservatur uti charta nr. 8. Agitur in casu de charta vidimata, quae tamen gaudet valore iuridico, quasi

ageretur de originali. Agitur de documento anni 1142, transcripto die 14 septembre 1259. Teste auctore Spahr, charta ista classicum specimen exhibet modi quo iuridice contentum alicuius actus authenticum declarari potest. Ubi generatim hoc fit ope alicuius notarii iurati, inde a prima medietate in Germania etiam archiepiscopi et episcopi talem notificationem iuridice authenticam efficere poterant. Additque Spahr, « Es ist interessant zu wissen, dass gerade die Cistercienser hierin vorangingen » (l.c., p. 11).

Documentum istud ergo, nunc asservatum in Mehrerau, refert actum confraternitatis anni 1142, transcriptum et authenticum declaratum anno 1259. Provenit autem hoc documentum, nunc asservatum in Mehrerau, ab archivo abbatae Cisterciensis de Wettingen (Helvetia). Porro iuxta territoria possessa a Wettingen sita erat abbatia Praemonstratensis Rüti (cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. I, Straubing, 1949, p. 81 s.). Ac inter paroecias administratas a Rüti erat Bollingen, ubi, teste Backmund, l.c., « fuit ad tempus parthenon sub directione abbatis Ruthinensis ». Ac inter moniales Praemonstratensis de Oberbollingen et moniales Cistercienses de Mariazell in Wurmsbach lis extitit de extensione determinata domini; quae lis finem habuit per concordatum conclusum anno 1260. Et scimus abbatem de Weddingen illo tempore fuisse consiliarium et protectorem monialium Cisterciensium asceterii de Wurmsbach.

Exinde manifestum fit cur actus confraternitatis inter Ordinem Cisterciensem et Praemonstratensem anni 1142 anno 1259 transcriptus fuit in Wettingen et authentica declarata fuerit haec transcriptio. Declaratio haec authentica facta fuit ab archiepiscopo Bisuntino (Besançon), Guilielmo, qui fuit archiepiscopus illius dioeceseos annis 1244-1268. Transcriptio videtur debere adscribi monacho Wettinensis seu Maioris Augiae, Henrico von Egre. Dr. Spahr tandem et aliud punctum tangit relate ad actum confraternitatis dictum anni 1142. Quaerit nempe: Quisnam tandem aliquando textum ipsum actus ab utroque Ordine firmati composuit? Censet Spahr aliquem Cisterciensem esse redactorem textus actus confraternitatis. Fundamentum talis asserti videt in plurimis terminis actus, quae practice essent desumpti e Charta Caritatis posteriori (quae indicatio, nostro iudicio, assertum Dr. Spahr vix probare videtur); ulterius, in subsignatione abbatum documenti asservari in Mehrerau, additur ad nomen Bernardi Clarevallensis abbatis « domni »; quod facile intelligitur ex eo quod Bernardo honores canonizationis tributi fue-

runt anno 1174; exinde non mirandum adiunctum « domni » inveniri in documento archivi de Mehrerau, O. Cist. et non in aliis textibus antiquis huius documenti hucusque notis.

Textus actus confraternitatis, de quo in praesenti, evulgatus fuit a CANIVEZ, l.c., pp. 35-37 (cfr. J. B. VALVEKENS in *Anal. Praem.*, XIX, 1943, pp. 63-65), et a Tr. GERITS, l.c., in *Anal. Praem.*, XL, 1964, pp. 201-203, iuxta originale asservatum Parisiis in Archives Nationales, L 995, n° 6. Cum vero Dr. SPAHR in editione curata in *Cist. Chronik*, l.c., p. 14-16, nonnullas lectiones variantes habeat, iuxta documentum a se inventum in Mehrerau, textum, uti editur a Dr. Spahr, l.c., hic transscribimus :

« In nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Confirmatio societatis et pacis inter Cistercienses et Premonstratenses. Igitur ad custodiam pacis et caritatis, utriusque capituli assensu, inter utrumque ordinem constitutum et confirmatum est, ut nullus Cisterciensium, canonicum nouicium seu conuersum Premonstratensis ordinis, nullus Praemonstratensium monachum uel nouicium seu conuersum Cisterciensis ordinis, nisi ex pari consensu, recipiant. Nullus in utroque ordine locum ad abbatiam edificet circa alterius ordinis abbatiam, infra IIIor leugas, ad mensuram uniuscuiusque provincie, preter quod in Anglia due leuge pro una leuga computentur et in Longobardia duo miliaria pro una leuga, nisi forte antiqua loca sint, quorum redditus et possessiones ad tenendum conuentum sufficiant. De grangia ad grangiam, siue de grangia ad abbatiam ad minus semper una intersit leuga, mansio uero ab abbazia duabus distet leugis. Uerumtamen terre ille, que ante annum incarnationis et diem, qui subscriptus, suscepte fuerant, sub hac lege non tenebuntur, siquidem singule terre ad integram carrucam suffecerint vel ad edificandam abbatiam suscepte fuerint. Nullus in utroque ordine, alter ab altero, tam de nutrimentis, quam de laboribus, decimas exiget, uel accipiet. Si aliquis in utroque ordine, de qualibet re emenda, uel adquirenda loco suo, prius tractare, uel aliquem conuenire inceperit, antequam sponte dimiserit, nullus de altero ordine sibi usurpare, uel impedire presumat. Si forte, in aliquibus locis, inter aliquos utriusque ordinis, aliquid querimonie emergerit, et inter eos familiariter per aliquos religiosos mediatores componi non poterit, sine maiori audientia differetur, et ad audientiam alterius generalis capituli referetur. Quisquis in eodem capitulo reus esse claruerit, quod intulit dampnum, prius restituat, et postmodum in capitulum abbatis, quem offendit, ueniens, usque

ad satisfactionem ante pedes eius se humiliet. Reliquum vero penitentie in dispositione generalis capituli sui ordinis permaneat. Commemorationem et plenarium servitium pro omnibus defunctis suis, singulis annis, inuicem faciant. Quod ut firmum deinceps, et in eternum quamdiu utriusque ordinis status uiguerit, inconuulsum permaneat, ego Rainaldus Cisterciensis abbas et generalis nostri capituli conuentus, ego quoque Hugo Premonstratensis abbas et generalis nostri capituli connuentus, presenti caritatis cyrographo firmamus, et sigillis nostris pariter consignamus. S. Rainaldi Cisterciensis abbatis, S. Bartholomei abbatis de Firmitate, S. domni Bernardi Clareuallensis abbatis, S. Wichardi Pontiniaci abbatis. — S. Hugonis Praemonstratensis abbatis, S. Walteri Laudunensis abbatis, S. Gerlandi Floreffiensis abbatis, S. Henrici Viuariensis abbatis. Actum est hoc anno Incarnationis dominice M^oC^oXL^oII^o, Epacta XX^aII^a, Indictione V^a, Concurrente III^o, V idus octobris. Nos autem Willelmus dei gratia Bisuntinensis archiepiscopus notum facimus presentibus et futuris quod nos litteram supradictam uidimus et diligenter inspeximus continenter ueraciter sicut superius est expressum. In cuius rei testimonium presentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Actum anno domini M^oCC^oL^o nono. In exaltatione sancte crucis ».

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Aantekeningen bij de Kerkgeschiedenis van Saksen door W. Schlesinger.

Prof. Walter Schlesinger, de schrijver van dit monumentale werk ¹⁾, was tot op heden vooral bekend om zijn studies over de geschiedenis van het recht en de instellingen, en deze belangstelling komt ook in deze kerkgeschiedenis tot uitdrukking. Daarnaast maakten de Duits-Slavische verhoudingen in de middeleeuwen zijn aandacht gaande, eveneens voornamelijk onder het oogpunt van de invloeden op organisatorisch gebied, die beide volksgemeenschappen op elkaar uitoefenden.

Vermits het een vrijwel onmogelijke opgave is een werk van

¹⁾ W. SCHLESINGER, *Kirchengeschichte Sachsens im Mittelalter*. Band I: *Von den Anfängen kirchlicher Verkündigung bis zum Ende des Investiturstreites*. Band II: *Das Zeitalter der deutschen Ostsiedlung (1100-1300)*. Köln, Graz, (Böhlau-Verlag), 1962, in-8, XII-397 u. IX-762 S.